







[Faint, illegible handwriting on a large sheet of aged paper, possibly bleed-through from the reverse side.]

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.





1671.

1. Beckmann, Joh. Volk: De solemnitatibus, quae  
jure communi ad testamenti factionem requiruntur,  
remissione et intensione.
2. Beckmann, Joh. Volk: De jure constituendi.
3. Beckmann, Joh. Volk: De sequestris et sequestratu-  
ribus.
4. Beckmann, Joh. Volk: De nuptiis personarum  
illustrium.
5. Beckmann, Joh. Volk: De sequestratione.
6. Beckmann, Joh. Volk: De sequestratione.
7. Beckmann, Joh. Volk: De jure piscandi.
8. Falckner, Joh. Christoph: De juramentis illicitis.
9. Fridonius, Joh. Arnoldus: Diaphragma ex vulnere  
Caesari.
10. Georgi, Johannes Fridericus: De communicatione bonorum  
conjugatorum.




1671.

11. Hermannus, Christianus: De spectaculis. 17
12. Hoffmannus, Christianus: Problema physicum: 20  
An ex bono et malo generari possit homo? 21
13. Heyser, Daniel: De Imperatoris Romani - Germanici  
reservatis et regalibus cum appendice, qui continet  
historiam juris publici. 22
14. Linck, Henricus: De persecutione ac remissione 25  
delinquentium. 24
15. Linck, Henricus: De metallis eorumque fodinis
16. Linck, Henricus: Retutiones. 25
17. Muellerus, Philippus: Iniquitas magni exempli  
sive diaboli de sententiis et plenitudine potestatis  
prospectis. 26
18. Richter, Christophorus Philippus: De heresione  
ejusque jure et privilegio. 27



19. Richter, Christophorus Philippus : De cursu publico  
et angaria et parangaria de quo testimonio ..
20. Rott, Rudolphus : Athila, Humerum seu ..
21. Schenckius, Iohannes Theodorus : Triga simplicium  
medicamentorum illustris: fermentantium,  
sedativorum, et praecipitantium.
22. Schenckius, Iohannes Theodorus : De catalepsi. -
23. Schenckius, Iohannes Theodorus : De arthritide.
24. Schenckius, Iohannes Theodorus : De diaphragmatis  
natura et morbis.
25. Schroeter, Ernestus Fridericus : De febris rega.  
libus.
26. Schroeter, Ernestus Fridericus : De eo quod circa  
vulnere iustum est.
27. Schroeter, Ernestus Fridericus : De consolidatione







No. 24. vol. I.

DISSERTATIO HISTORICO-  
POLITICA 1671/71

De

SPECTACULIS,

Quam

Divini Numinis adspirante gratiâ

&

Superiorum Indultu

In

Celeberrima propter Salam Academiâ pu-  
blicæ Eruditorum Censuræ subjicit

PRÆSES

M. CHRISTIANUS HERMAN-  
NUS, Namsl. Silesius,

&

RESPONDENS

VALENTINUS FRÖSCHELIUS

Erffurt.

*ad diem VI. Decembr.*

*Anno M. DC. LXXI.*

---

JENÆ,

Typis Joh. Jac. Bauhoferi.



DISSERTATIO HISTORICO

POLITICA

SPECTACULIS

LIBRI PRIMUS

DE

REPUBLICA

ROMANA

DE

CHRISTIANUS HERMAN

INUS

VALLENTINUS

DE

REPUBLICA

DE

REPUBLICA







J. N. J.

DISSERTATIONIS

*De*

SPECTACULIS

Prooemium.



Um in qualibet fere Rep. illud offendamus, ut non exigui sumtus, interdum maxima quoque pars reddituum, effundantur in ea, quæ per se ad statum Reip. non faciunt, sed tantūmodo jucunditati & delectationi tam Imperantium, quam obedientium inserviunt: Non plane nullius usus erit, de SPECTACULIS, quæ essentialiter ad Remp. non pertinent, disquisitionem instituere, quâ ratione in Rep. concedi & exerceri possint, si ad æquitatis lancem examinentur. Labet autem quædam melioris Doctrinæ gratia de Origine & Natura Spectaculorum præfari. Sit itaque B. C. D.

A 2

SE-



SECTIO I.  
De Origine & varietate Specta-  
culorum.

§. I.

**A**Ntequam in Natales progressusque Spectaculorum in-  
quiramus, proderit forte si Etymologiam vocabuli pau-  
cis lustramus. Dicitur autem Spectaculum inde, quod specte-  
tur, & sumitur hic pro re, quæ visui obijcitur & ad spectandum  
exhibetur. Notat itaque hic ipsam actionem Scenicam, quæ  
Græcis *θεαμα*, Germanis ein *Schauspiel* dicitur.

§. II. Homonymiã quod attinet, interdum hæc vox accipi-  
tur pro ipsa spectatione. Sic enim *Val. Max. L. II. c. 4. dicit.*  
*Senatus populo mistus spectaculo ludorum interfuit.* Aliquando  
ipse Locus, in quo eduntur lusus, spectaculum appellatur,  
qui tamen locus à Græcis optime distinguitur ab ipsis ludis,  
dum *θεατρον* illū, hos autē *θεαματα* appellant. Distinguimus au-  
tem hic Spectaculum ab omni peculiari facto, quod in Civi-  
tate insolito modo accidit, veluti si cædes, prodigia, confi-  
ctus, & alia hujusmodi occurrunt, quæ etiam Spectaculorum  
nomine veniunt.

§. III. Synonymia hic sese nobis offert, dum Spectacula  
alio etiam nomine Ludos appellari legimus, & parum hæc  
vocabula ratione significationis à se invicem differunt, nisi  
quod Spectacula plerumque apud Antiquos, actiones gravio-  
res, magnique momenti res significabant: Ludi contra etiam  
puerorum actiones appellabantur. Promiscue tamen hæc vo-  
ces à gravibus Autoribus usurpantur, uti inter alios apparet ex  
*c. L. Val. Max.* Nobis etiam imposterum hæc duo Vocabula  
unum idemque denotabunt.

§. IV. Ludum autem *Tertull. L. singul. de Spect.* dictum  
esse à Lydis putat, qui ex Asia advenæ in Etruria confidentes,  
inter



inter ceteros ritus Superstitionum suarum, Spectacula quoque nomine religionis instituerint. Et opinionem hanc confirmare videtur *Herodot. L. 1.* qui varios ludos animi recreandi gratiâ Lydos primum excogitasse refert. Varro tamen Ludos à lusu vel Ludo appellatos scribit. Quicquid tandem sit, præter hæc adducta testimonia de Vocabulorum horum origine, vix certi aliquid constabit, neque etiam multum referre videtur in inquisitione illorum longius morari.

§. V. De reipsâ autem, quando nimirum Spectacula sive Ludi cœperint, magis dubitari potest. Nihil enim certi nobis Autorum Scripta tradunt, cui adscribenda sit Inventio Spectaculorum. Variorum quidem apud varios Spectaculorum initia exhibentur, sed quis primus Lusor extiterit non exponunt. Nullus tamen dubito Principium illorum ad Mundi Infantiam reducere, ubi variæ inventiones artium & rerum posteris Adami attribuuntur, ipso Sacro Codice sic docente *Gen. c. 4. 20. seqq.* Et probabile est, jam tum aliquo in usu Ludos sive Spectacula fuisse; quamvis nec satis exulta, nec sumtuosa nimis. Prout enim ingenia hominum variant, ita etiam alia atque alia gaudia suis interponunt curis, & inter alia delectationum genera ludos eos etiam excogitasse putamus, qui tamen temporis successu ita increbuerunt, ut videretur, Remp. aliquam salvam esse non potuisse, nisi frequens Spectaculorum Lusus in ea exhiberetur.

§. VI. Considerantes itaque Spectacula; quatenus jam majori curâ & arte in publico exhibebantur, ea *Rosinus L. 5. Antiq. Rom.* dicit esse publicas celebritates, quæ vel placandæ Deûm iræ vel pro salute populi, vel gratiæ ejus demerendæ causa sunt editæ. Nos addendum putamus, vel quæ contestandæ lætitiæ causâ ob nactum bonum aliquod exhibitæ sunt. Quæ quidem descriptio quamvis justam & exactam definitionem adæquare non videatur, ailqualem tamen lucem affert intellectui, ut rem significatam eo melius comprehendere possit. Continet enim pleraque genera Spectaculorum, quæ apud antiquos in usu fuerunt. Quod ipsum patescit ex cau-



sa finali in descriptione addita. Nulla enim Species Ludi vel Spectaculi afferri poterit quæ non ad unam allatarum causarum reduci queat.

§. VII. Et ut propius accedamus ad indigitandam varietatem Spectaculorum, non jam solliciti erimus in recensendis variarum Gentium ludis, & quemadmodum consuetudo Ludorum ab unâ Gente ad aliam transferit; dies enim hoc modo nos deficeret, & alia forte B. C. D. dabitur occasio de his differendi. Insuper hoc Scopum nostrum non attingit, qui potissimū ille est, ut inquiramus, num bono vel malo Reip. Spectacula exerceri possint. Sufficit ergo tantum considerasse Spectacula ea, quæ apud Romanos aliasque Gentes, ad nostra usque tempora celebriora & in usu fuerunt. Et quidem communiter quatuor genera numerantur, *Gladiatores, Venatio Circenses & Scena*. Tria priora pertinuerunt ad oculos, & Romanæ virtuti maxime convenientia, & Gentis ferè propria erant, referente *Anton. Thyrio in Româ illustrata p. m. 221*. Instituta vero erant alia placandi divini Numinis gratiâ, cum Sulpitio Bœtico & Licinio Stolone Coss. intoleranda vis ortæ pestilentiæ Civitatem à bellicis operibus revocatam, domestici atque intestini mali cura affixerat, putabant venerabili hâc erga DEOS reverentia eorum iram aversum iri. *Vid. Val. Max. L. 2. c. 4. de Spect.* Celebrabantur vero plerunque tempore Sacris destinato, & in delubris Divorū, ut hinc non obscure colligi possit, Spectacula initio partem cultus divini fuisse. Opinabantur enim Gentiles sese Diis rem gratam illis ludis facturos. Et fidem huic rei perhibere poterunt Sacra Cereis, quibus frequentissime Ludi & Spectacula immista erant. Saturni quoque Feriæ, quæ celebrari solebant Mense Decembri, non carebant suis ludis, teste *Justino L. 43. c. 1*. In iis enim Festis exæquato omnium Jure passim in Conviviis Servi cum Dominis, recumbebant. Et existimant nonnulli eruditorum, originem hoc Festum traxisse ex Scenopegiis Populi Judaici, quæ agitabantur ab illis Mense Thisri VII dierum spatio, collectis & reconditis in horrea fructibus; quo tempore tam Ser-  
vis



vis, quàm liberis subtentoriis feriari ac epulari fuit cum lætitiâ concessum, *Levit. 35. Deutr. 16.*

§. VIII. Vix tamen hæc Festa, Spectaculorum nomen, proprie ita dictum, merebantur, quemadmodum etiam Græcorum Ludi olympici, quos Hercules primus in honorem atavi materni Pelopis ediderat, ut refert Solinus in principio operis sui, rectius exercitationes quam Spectacula appellari debere videntur, quia præcipuè ob hunc finem instituti erant, ut Juventus Attica variis in exercitiis & studio virtutis feliciter informaretur. Et propterea etiam Palæstritæ victoriosi, ut calcar deinceps currentibus adderetur, præmio ornari solebant.

§. IIX. Sed transeamus ad alia Spectaculorum genera, & præcipue ad ea, quæ oblectationis causa, & ad demulcendos hominum animos in medium produci solebant. Ubi apud antiquos primum obtinebat locum *Gladiatorium* hoc enim celeberrimum fuit frequentissimumque, & in quo plebs maxime vel delectabatur vel verius insaniebat, juventutique erat in deliciis. Accuratissime vero de Gladiatoribus scripsit Justus Lipsius, qui in Tractatu suo de Saturnalibus ex instituto de ritu illo differit, & reliqui Autores, qui hujus rei mentionem faciunt ex Justo Lipsio omnia sua hausisse videntur, quod ipsum etiam fatetur laudatus *Anton. Thys. in præfat. ad Tract. de Antiqu. Rom.* Origo autem & causa gladiatorum Funus erat, ut ex *Lipso, Val. Maximo & Julio Capitol.* in vita Maximæ & Balbini patet. Credebatur enim tum temporis animas defunctorum, humano sanguine propitiari posse. Qui quidem mos exinde promanasse videtur, quod olim funeribus principum Virorum, servi & alii, quos præcipue amaverant, adderentur, in altera vitâ Dominis famulaturi. Unâ enim cum mortuis vivi defodiebantur vel jugulabantur; & præsertim apud Gvineæ Populos, Peruanos aliosque mos hic inolevit. *Levin. Huls. P. VII. Navig. Holl. c. XLIV.* Et Celtis quoque vetustissimis Gentibus in usu fuit. *Cluv. L. 1. Germ. antiqu. c. 53. p. 396.* Quod vero indubitata sit hæc sententia, nemini persuaserim. Prætextu verò hoc, expiationis sc, & religionis Con-  
su-



fules quidam Romani Gladiatores introduxerunt, qui alio nomine etiam à busti cineribus bustuarii dicti. Et hoc tempore Spectacula appellari nondum poterant, quia finis & respectus à ludis ac delectationibus reliquis plane erat alienus. Et melius potuerunt appellari sacrificia, quæ tali modo Diis offerri à Veteribus solebant. Immo docet Tertull. universam Gladiatorum paraturam ex idololatria constituisse, adeoque ab ipso Diabolo mutuam asserit.

§. IX. Tandem autem mos ille ita invaluit, ut non in Funeribus tantum, sed & voluptatis causa dati fuerint Gladiatores. Placuit enim hæc res populo, & omnes harum voluptatum cupientes erant. Et cum in publico exhiberi cœpta sunt hæc munera, ita enim vocabantur Gladiatores, & quasi profanata, omni jure Spectaculi nomen iis impertiri potuit. Subsequente enim tempore politiora subinde in medium producebantur, & cum sub originem unum tantum par gladiatorum daretur, postea multa millia uno die ludentes interfecti sunt, ita ut nullum bellum tantam cladem vastitatemque generi humano intulerit, quam hi ad voluptatem ludi; adeo ut aliquo modo hæc ambitio & sanguinis humani effusio legibus fuerit coercenda. *Lipf. l. c.* Dicebantur vero gladiatores non solum ii, qui gladiis se invicem infestabant, sed plures alii, qui variis armis instructi erant; ut fuerunt retiarii, qui Adversarium subito reti implicitum jugulabant. Item Andabatae, qui pugnabant galea frontem oculosque tecti. Alii Tridente armati in modum Neptuni, cum aliis decertabant. Neque tamen prostrato animo, sed forti admodum, ne dicam audaci, accedebant ad mortem; de quo stupenda habet *Cic. L. II. Tuscul. quest. de toler. dolore.* Ubi, *Gladiatores, inquit, aut perditii homines, aut barbari, quas plagas perferunt? quomodo illi qui bene instituti sunt, accipere plagam malunt, quam turpiter vitare? quam saepe apparet, nihil eos malle, quam vel Domino satisfacere, vel populo? mittunt & vulneribus confecti, ad Dominos, qui querant quid velint; Satisfactum iis sit, se velle decumbere, quis mediocri gladiator ingemuit? quis vultum mutavit unquam: quis non*

mo-



modo stetit, verum etiam decubuit turpiter? quis cum decubuis-  
set, ferrum recipere iussus, collum contraxit? Et hæc insania in-  
vadebat etiam Mulieres, teste Lipsio, quæ non minus quam,  
Viri hostili animo in arenam descendebant certabantque. Ii  
vero qui hosce Ludos seu Spectacula exhibebant non soli e-  
rant Principes populi & Consulares Viri; nam eò res deniq;  
devenit, ut etiam mediocris conditionis homines & privati  
Spectacula ederent, ut saltim vel gratiam populi demererentur,  
aut divitias suas ostenderent. Immo crescente luxuria Popu-  
lus ut delicatulus tractabatur, ubi enim prius stantes Ludos  
spectabant, subsellia posita, & Amphitheatra exstructa sunt tan-  
tis sumptibus & labore, ut celeberrimis etiam orbis terrarum  
ædificiis æquari potuerint. Et refert *Georg. Fabric. in Roma sua*  
*cap. XII.* se oculis usurpasse Theatri Capuani ruinas quod ex  
solido marmore exstructum fuit. Erant autem Amphitheatra  
loca in quibus commodissime Populus ad ludicra convocatus  
sedens spectare posset, ut habet *Aurel. Cassiod. L. IV. Epl. ult.*  
Plura de structura & forma eorum desideranti suppeditabit ea  
Lipsius, ut & *Anton. Thys. Lib. c.* Inprimis accuratè omnes  
Theatri partes descripsit *Godvyn in the English exposition,*  
*of the Romane Antiquities L. 1. Sect. 1. c. 19.*

§. XI. Hæc fuerunt gurgites quasi vastissimi, qui tantam  
vim humani sanguinis hauserunt, & quibus Gens Romana in-  
credibiles opes ex maxima orbis parte collectas immerfit.  
Præter gladiatores vero pretiosissima alia spectacula exhibita  
sunt. Prælia hic conspiciebantur navalia, Mare fluctuans ma-  
ximis repletum animalibus oculis usurpari poterat, quæ ani-  
malia retibus aureis extrahebantur, & hoc modo divitiæ, quæ  
longo tempore à Majoribus cumulatae erant, unius diei spa-  
tio profundeabantur. Neque tamen solos Romanos tanta Spe-  
ctaculorum libido cœperat; sed transivit etiam ad ipsum Dei  
Populum. Testatur enim *Josephus L. 1. c. XVI. de B. Jud.* Hie-  
rosolymis talia spectacula exhibita fuisse; & *Dio L. 53.* scribit, He-  
rodem Græcorum ineptias, & crudelia gladiatorum certami-  
na exhibuisse.

B

§. XII.



§. XII. Præter gladiatores alii habebantur Ludi, 'Circen-  
ses nempe, quorum ritum descripsit Servius, Virgilio Interpres,  
& peragebantur in Circo, qui certus erat locus, ubi ab altera  
parte Tiberis pro meta erat, ab altera Enses imponebantur.  
Damnabatur tamen hic ludus à plurimis Sapientioribus, tan-  
quã res inanis & nullius momenti. Et carpit Plinius notabi-  
liter L. IX. Epl. VI. quosdam graves Viros, qui in re inani,  
frigidã assiduã tam insatiabiliter desideant, sibi que ipsi gratu-  
latur quasi, quod hãc voluptate non capiatur.

§. XIII. Offert nunc sese aliud Spectaculorum Genus  
quod *Ludus Scenicus* apud antiquos indigitabatur, & hanc  
appellationem ad nostra usque servavit tempora. Species autem  
Ludorum Scenicorum *Rosinus L. V. c. V. antiqu. Rom.* nume-  
rat IV, Tragediam, Comœdiam, Satyram & Mimum; Non  
improbabiliter existimamus eos inde dictos Scenas seu Ludos  
Scenicos, quod in umbra fiebant, & ingenii arte exercitaban-  
tur. Et per hoc ludi Scenici à Circensibus differunt, quod hi  
in Circo illi in Theatro tractabantur. Neque tamen Satyra &  
Mimus pari cum Tragedia & Comœdia passu ambulant. Le-  
vium enim plerumque animorum erant actiones, quæ gravi-  
tati quorundam non subinde arridebant. Interdum enim sup-  
presso nomine acriter perstrinxerunt hominum mores, quos  
aliàs reprehendere extra periculum non erat; & præterea,  
quod ad Mimos attinet, ludicris rebus tempus & pecuniam,  
spectantium consumebant, quales hodieque sunt Funambulo-  
nes, Gesticulatores & alii hujus farinae socii qui mediis sæpe in ur-  
bium Foris scurrilibus suis vulgum delectant. Sed missis his,  
ad Comœdiam sic dictam, & quatenus Mimo, Satyræ item  
contradistinguitur, redimus. Eam Scaliger dicit Poema Dra-  
maticum, elegans, exitu lætum, & cui suo tempore Romani,  
aliæque Gentes inter serias tractationes ad animorum refe-  
ctionem intererant; appellabatur autem nova. Vetus autem  
Comœdia ejusdem cum Satyra ferè argumenti erat; maxime  
enim in mores hominum invehebatur, docente Horatio:



*Si quis erat dignus describi quod malus aut Fur  
Quod Mœchus foret, aut Sicarius, aut aliqui  
Famosus, multa cum libertate notabant.*

Novam adhuc inter nos obtinere, ipsa loquitur experientia. Et accenseri his possent illæ præsentationes, quæ meris saltationibus, cantionibus atque tripudiis consistunt, & vocabulo Gallico communiter Ballet appellantur. Et, si antiquis nulla aliâ in re æquiparandæ aut anteferendæ, sane arte & ingeniosa inventionem illis palmam longe præripiunt. Comprobant hoc magnificentissima spectacula, quæ vel ad ostentandas divitias, & declarandam potentiam, vel ad capeffendam gloriam in medium producuntur. Magnificis effert laudibus Thuanus Ludum sive Balletum à Sorore Ludovici XI. Regis Galliæ, quæ desponsata fuit Hispano, ante discessum ejus exhibitum, quod incomparabili arte, ingeniositate, & pretiositate omnia sui temporis spectacula & ludos præcelluit, ut ipse dicat Thuanus, excellentius nunquam visum fuisse. Materia etiam Comædiarum non semper est inventum humani ingenii, cujus Exemplum in rerum natura nunquam extitit, sed interdum rei gestæ sub iisdem circumstantiis repræsentatio.

§. XIV. Hoc ipsum tamen maxime proprium est Tragediæ, quæ ratione formæ opposita est Comædiæ, & nihil est aliud, juxta Scaligerum, quam actio, illustrium personarum negotia gravia, & eventus atroces seu infelices sermone gravi metrico imitans. Tragicum hoc Carminis genus Plato in Minoe vetustissimum inventum esse asseverat. Cujus tamen principium Plutarchus ab ipso Homero arcessit, & dicit; *omnes Tragediarum formas apud eundem reperiri, actiones grandes & à communi opinione alienæ, Deorum apparitiones, orationes ab elato animo profectæ, & quibus quævis Ingenia, quævis mores exprimantur.* Et paulo post: *Graves apud eundem proponuntur res eaque amplificatæ verbis, sententiis & actionibus.* Immo statuit quoque Comædiam hinc ansam capisse. Inveniri enim apud eum, qui res maxime sublimes atque grandes referat, quædam etiam esse, quæ interim risus materiam præbeant, quemadmodum in Iliade Vulca-



nūm claudicantem inducit, qui fundat Vinum Diis, quā occasione.

*Immensus cepit caelestia Numina risus.*

*Vid. Plutarch. Libro de Homero.* Existimamus tamen, si Sententiae Plutarchi standum, Homerum primum fuisse, qui Comœdiam & Tragœdiam artificio Poetico condecoratam in medium produxerit. Volunt autem, Tragicum carmen inde appellatum, quoniam olim Actoribus Tragicis *ἄγος*, id est hircus præmium cantus proponebatur, quod etiam testatur Horatius in arte poëtica, & nos suo relinquimus loco, cum alii diversas denominationis rationes afferant. Hoc tamen certum, quod successu temporis non ob nudum hircum Tragœdiæ in publicum productæ sunt, sed partim ut documenta Auditoribus, Spectatoribusque darent Tragicæ, quo pertinent Tragœdiæ Senecæ aliorumque virorum illustrium; partim etiam ut gratiâ, quâ forte fortunâ exciderant, potirentur denuo, & animos miserabilium factorum commemoratione ab irâ ad misericordiam converterent. Seriae enim & præstantissimæ actiones, profligatis obscœnitatibus, in Tragœdia locum habet. Agebantur autem hi Ludi scenici, Tragœdiæ pariter & Comœdiæ, apud Romanos interdum in Conviviis, ut aurium simul oculorumque oblectamentum haberetur. Et fidem huic rei facit *Plinius L. 3. Epist. 1. ubi de Spurinnâ: Frequenter Comœdis Cœna distinguitur ut voluptates quoque studiis condiantur.* Et invehitur idem gravissime in quosdam, qui scurrilibus & turpibus actionibus honestam Comœdiam dedecorabant, uti patet ex *Lib. ejus 9. Ep. 17.*

5. XV. Hæc sunt Spectacula, in quibus partim homo cum homine commissus, partim Histriones in Scenis Spectantibus delectationem creabant, itaque ad solos homines pertinent. Præter hæc autem alia habebantur, in quibus homines cum Feris commissi miserè dilacerabantur. Cum enim Populus ad nauseam usque gladiatores se invicem jugulantes vidisset, tanquam ad recreationem capiendam se recepit ad ea Spectacula, ubi non solum malefici & facinorosi, verum etiam in bello capti, & dedititii cum beluis immanissimis



simis pugnare cogebantur. Initio quidem Species supplicii fuit, quo immorigeri & Legum transgressores afficerentur, quemadmodum *Paulus L. 5. Sentent. tit. 17.* inter Supplicii genera etiam numerat ludum sc. Venatorium, in quo congregi cogebantur cum bestiis, & apud Persas aliasque Gentes bestiale hoc supplicium in usu fuisse, ex Danielis Prophetæ c. 6. & historia Draconis Deastri Babylonici colligi posse videtur, ubi consuetum erat singulis diebus par hominū, parque ovium Leonibus in Lacuna delitescantibus ad sustentationem eorum tradere. Crescente vero libidine & luxuria hominum, factum est, ut nil nisi nudum nomen veri Supplicii remanserit, de reliquo autem delectatio Spectantium pro fine habita fuerit. Loquuntur hoc ipsum crudelissimæ persecutiones Christianorum primitivæ Ecclesiæ, quæ non administrandæ Justitiæ, sed, quæ sanguinolentia Romanorum erat, libidinis causa instituebantur. Alebantur Leones, Tygrides, Ursi, aliaque ferarum genera, quas sæpe per aliquot dies inediâ vexatos illis immiserunt, qui morti destinati erant ut eos tanto ferocius aggredierentur, & Spectaculum multo jucundius redderetur. Quæ sine dubio tamen iniquissima injustissimaque fuere Spectacula, hominum etiam ethnicorum iudicio crudelissima, cum gaudio & lætitia hominum innocentium corpora à feris dilaniata videre.

§. XVI. Minus mali habent ii cum feris congressus, qui venationibus admodum similes sunt, qualia fuerunt Taurilia Romanorum, ubi Circo inclusas Bestias hastis transfixerunt, suamque facilitatem & fortitudinem hoc modo declarabant. Cujus generis Spectacula ab Imperatore Justiniano numerantur inter ea, quæ ad voluptatem Populi agi consueverant. Et dispescuit ea in ferarum venationem theatricam, simplicem, seu, *νηπιαν* & in complicatam, quando non cum bestiis modo pugnarent homines, & eas vincentes audaciâ interimerent, sed & inter sese variis modis decertarent, ut ex *Tertull. peculiari Libro de Spectac. videre est.* Et hæc Taurilia Venetiis hodieque frequentia esse, testatur Andr. Scotus in Itinerario suo



Italiae. Immo Hispanorum quoque aulam, aliorumque, Taurilia hæc ad spectandum subinde exhibere, ferunt Novellæ, quæ jure spectaculorum numero accensenda videntur.

§. XVII. Et hæcenus ea vidimus, quæ propriè & primariò spectaculi nomen sibi vendicant. Succedunt quædam Spectaculis valde similia, & quæ eorum affinia dici possent. Sunt autem inter alia Torneamenta seu Ludi Equestres, qui fuerunt Nobilium Germanorum exercitationes bellicæ, ab Henrico Aucupe Germanorum Imperatore introductæ, ut honeste recrearentur, & ad militares expeditiones eò promptiores redderentur: Unde vero hoc nomen Torneamentum descendat, varii varias afferunt Sententias. Quidam ex vocabulo Italico Torneamento ortum esse volunt, cujus etiam Sententiæ est *Limneus L. V. J. P. c. V. n. i. seq.* Quamvis vero suo quemque abundare sinamus sensu, minus tamen probabilem existimamus sententiam non neminis, qui dicit: Turner war bey den Alten ein junger Soldat/ ein wackerer Kerl/ ein frischer junger Gesell/ der sich in ritterlichen Tharen übte / daher Turniren und ein Turnier seinen Anfang genommen. Quia enim à Germanis primo hic ludus non est inventus, sed ab Italis & Gallis, apud quos frequentissimus fuit, mutuatus, æquum etiam fuerit appellationem à Gallis & Italis derivare, qui Turniren appellant Tournoyer & Torniare.

§. XIX. Ratio autem cur Spectaculorū numero ea addere dubitemus, hæc nos urget, quod primarius Scopus non fuerit spectantium delectatio, sed aliæ prægnantes causæ, ut habet Ruxnerus im Turnier = Buch p. 28. Et eas recenset *Limneus L. III. c. 31.* Ut nempe Nobiles desidiam fugientes exerceantur in armis, quibus postmodum bellico tempore instructi hostes eo expeditius adoriri valerent. Deinde ut Tyrannidem & superbiam reliquaque luitia & flagitia extirparent. Quale vero propriè fuerit Exercitium, & quæ formalitas ejus, videri potest apud Autores citatos. Et egregie actum iudendi descripsit *Johann Sachs Vates Noricus*, cujus carmen etiam in *Limnæo* recitatur. Obscurum tamen est, quid sibi velint

ter.



termini illi eo tempore usitati. Nam integrum Ludum non appellatum fuisse proprie Torneamentum, ex eo constat, quod primo clavis congressi fuerint, & hic congressus vocabatur der rechte Turnier/ postea usi sunt gladiis, & appellabatur der NachTurnier. Hoc quoque finito, hastiludia & alia ejusmodi exercitia inchoabantur. Si verò quis in ipso actu aliquid contra honestatem commisisset, is puniebatur, quam pœnam vocabant, auf die Schranken setzen/ quæ verba propriè accipienda esse, patet ex constitutione Legum à Nobilitate Rhena-nâ Anno 1481 renovatarum, ubi inter alias Leges habentur: Welcher wieder Ehre gethan daß er zu straffen fürgenommen würde / dem mag man sein Ross abgewinnen / derselbe sol auch mit dem Sattel auf die Schranken gesetzt werden / und darauf sitzen bleiben bis zu Ende des Turniers. *Rixn. p. 205.*

§. XIX. Sapienter vero cautum erat à Sacratissimo Imperatore, ut apparatus armorum ita formatus esset, ne quemquam illis lædere possent, & proinde inter alias Leges hæc etiam condita erat: daß er seinen Helm und di Kleinod der Wapen zur Schau und Theilung aufzüge / und zugleich sein Turnier-Schwert besehen liße / ob es zulässig oder nicht. Non enim absque omni periculo semper peragi posse hunc ludum, exemplo est infelix ille exitus ludi Equestris Gallici, in quo Rex Henricus II. fractæ lanceæ frustulo per cassidem penetrante adeò vulneratus, ut post paucos dies mori necesse habuerit. Nemo vero nisi Nobilis & stemmate clarus ad Ludos hosce admittebatur, ut patet ex Constitutionibus Cæsaris, aliorumque Principum, ne nobilissima hæc exercitatio per ignobile Vulgus profanaretur. Arcebantur etiam hinc ii. qui notabili aliquâ vitæ labe & infamiâ laborabant, ut soli virtuti locus & regimen absolutum relinqueretur, uti patet iterum ex Legibus propterea latis. Intererant etiam his solennitatibus nobilissimæ personæ sexus sequioris, quæ pro cuiusque merito præmia offerebant, præterea honesta suâ pulcrâque præsentia animos ac vires decertantium adaugebant. Et ut eo major respectus Torneamentorum haberetur, non cuivis in-

di



distincte ea indicere concessum' fuit, sed Jus hoc competit soli Cæsari, & Principibus nonnullisque Civitatibus, quibus ex speciali Privilegio ab Imperatore datum fuit, qui etiam exinde *Turnier-Böge und Richter des Turniers* appellari solent, *Rüxn. im Turnier-Buch* p. 30. Neque tamen hos Ludos hodie in Germania penitus sublatos esse affirmat *Limneus L. VI. c. V. n. 14.* quamvis non iisdem solennitatibus Legibusque, quæ in antiquis Torneamentis obtinebant. Inquit autem d. I. *Fama* est in Aula Cæsarea & Bavarica hodie ejusmodi ludos rursus excitari, ac constat ex *Diario Europæo*, elegantissimos ludos hodiernæ Imperatricis Margarethæ esse Viennæ celebratos, in quibus Princeps Sulzbacensis fortiter ad miraculum usque se gessit. Perquam autem similia gladiatoribus Torneamenta fuisse, quod formam attinet, ipsa testatur historia. Utrinque enim pugnabatur pro gloria, nisi quod illi cum præsentissimo vitæ periculo in arenam descendebant, erant enim captivi, & solius delectationis gratia commissi: Hi vero tanquam ad solenne gaudium convocati, vires suas coram Spectatoribus experiebantur seque exercebant. Insuper magna victoribus præmia decernebantur, ubi contra illi, licet superiores exstiterint, sæpe ad sequentia munera asservabantur.

§. XX. Operæ pretium hic nos facturos opinamur, si quædam de Majumis in arenam producamus, cum plerisque & *Baron. in not. ad martyrol. Rom. 26. Dec.* ad nomen & vera Majumæ ratio ignota sit. Erat autem Majuma ludus panegyricus (sic dictus à Portu Gazæ urbis Palæstinæ primaria, propinquo, qui Majuma vocabatur, & ubi hi ludi maxime frequentes fuerunt) quo Nautæ inter se commissi, è puppibus in aquas se invicem proturbabant. Inde in alias urbes atque adeò in Romam paulatim traductus exhilarandi ubique populi gratia. Quemadmodum talia certamina Pata-vii, Andreas Scotus se observasse dicit, ubi in Amne Medoaco Nautæ hastis inter se concurrerunt. Et Gazæ quidem prima ejus fuisse Incunabula, tam sacris, quam profanis testimoniis probat Rivinus. Erat enim urbs superbissima, reliquarumque quasi Regina, ubi templum etiam Dagonis magnificentissime

ex-



exstructum visebatur, veluti facile colligere est ex *XVII. cap. Ju-*  
*dicum*, quod nempe ultra tria millia hominum in superiori ædis  
parte solum, Samsonem ludentem spectarint. Et dubium nul-  
lum est, omnis generis spectacula & ludos ibi exhibitos fuisse,  
inter quos tamen Nauticus ludus primarius erat, qui diu etiam  
viguit Romæ, antequam Majuma appellatus fuerit. Existimant  
enim eruditi, ab exoticis, præcipue Syris, apud quos præprimis  
requirenda Majumæ incunabula, qui bello capti erant, hos  
ludos Romam traductos fuisse. Statuit vero Rivinus, nonnul-  
los eruditorum deceptos fuisse, qui Majumam ad Festa Flora-  
lia referendam esse, autumabant, propterea quia nullus Roma-  
norum Scribtorum hujus Ludi sc. Majumæ mentionem faciunt,  
quamvis enim dicit, non eodem nomine ludus iste in princi-  
pio indigitatus fuit, nihilominus tamen decursionē Tyberinam,  
quæ prope Ostiam Romæ propinquam fiebat, eodem modo,  
quo Gazæorum Majumam celebratam fuisse. Excusat tamen  
illos Viros Thom. Reines. in Defens. Variarum lectionum,  
& contra docet, Rivinum Majumam à se in Tyberi repertam,  
quam tamen nemo ibi posuerat, magis dubiam reddidisse. Et  
quamvis quoad nomen hoc Majumæ spectaculo plane fuerint  
desituti Romani, quoad rem tamen in piscatoriis ludis ha-  
buerunt levia certaminis nautici primordia, in Sacris Fortu-  
næ incrementum, in natatorum Spectaculis & Floralium Fe-  
stis consummatum omnium impuritatum avernum, quibus no-  
men Majumæ impertitum. Honestum enim initio erat spe-  
ctaculum, quatenus in terminis suis consistebat, & solum Nau-  
ticum certamen denotaret. Postea tamen ita degeneravit, ut  
omnis generis impuritates & lasciviæ aliorum ludorum con-  
fluxisse viderentur, quæ vocabulo per ipsam actionem abo-  
minabili reddito, Majumæ sc. appellabantur. Non enim so-  
lum, terrâ & anni descendebant, currebant, & certabant, sed  
& noctu dieque commistus uterque sexus, multa lascive &  
libidinosè patrabat. Confluebat enim ad certamen nauti-  
cum magna colluvies hominum aliquâ arte viventium; cele-  
brabantur ibi Floralia, Festum item Fortis Fortunæ, quod  
C  
pro-



proprie erat decursio Tyberina, uti ad oculum patet ex *Ovidii 6. Fast.* & navibus, frondibus atque scenis virentibus undique condecoratis convivia per Tyberim agitabant. Ipse Sexus sequior Mimorum in modum impudice denudatus, ludos illos juxta aquas & in iis celebravit, de quo *Petronius, Juvenalis item in Satyris suis.* Neque intra terminos Ethnicismi Majuma hæc absurda se continuit; sed illi ipsi etiam, qui Christo nomen dederant, diversis in locis eam in deliciis habuerunt; & maxime Constantinopoli hanc Majumam viguisse, ex Chrysostomo apparet, qui altera vice in exilium missus, quod ludos in loco proximo Templi celebratos, magno ardore animi refutasset, *vid. Cent. Magdeburg. V. c. 10.* Ita autem ille, *Homil. 6. & 7. in Matth.* eos qui ludis istis cupidissimè intererant, redarguit: *Ita eum (Christum) relinquis, cum videris, ut post illum curras ad Theatra, ut Mimum vel Majumam videas, & jacentes in Scena Meretrices, desertoque fonte Sanguinis & Calice reverendo, ad Diabolicum istum fontem festines, ut spectes meretricem natantem, & naufragium anime patiaris.* Immo propter paganam superstitionem & impuritatem in *publico Concil. Constantinop. VI. Canone 62.* damnata hæc Majuma. Nec quievit Chrysostomus usque dum Arcadium Imperatorem commovisset, ut primo obscena & impudica à Majuma rescinderet, & illi pristinam honestatem restitueret, prohibitis lasciviis illis & saltationibus parum castis. Quia autem vulgus, ad mala proclivis, vanos hos ludos ex orco quasi revocaret, penitus tandem à laudato Cæsare sublatis sunt, ut adeo cum re ipsa nomen quoque exoleverit. Reliquias tamen nonnullas ex vero Majumæ ludo ad nostra usque tempora permansisse Autor est *Pancirollus L. 2. c. 253. variarum lection.* cum sc. plebeji Mense Majo per jocum se invicem aquâ adspargere solent. Immo hodieque Piscatorium ludum Argentorati, Francofurti ad Moenum &c. in usu esse, pro certo habemus. Anserem enim in medio fluvio è fune suspensum, prætervehentes manu apprehendunt, visuri, num eundem forte auferre possint. Quia vero collum anseris sapone illitum est  
adeo-



adeoque maxime lubricum, ut firmiter teneri non possit, præterea nautæ citato cursu funem prætervehunt, ideoque ii, qui anserem apprehendere conantur, facile in fluvium dejiciuntur, dum propter velocitatem Navis gradum firmum figere non possunt.

*Et tantum de origine & Varietate Spectac.*

Sequitur

## SECTIO II. *De* Moralitate Spectaculorum.

### §. I.

**S**uperatis illis, quæ ad varietatem Spectaculorum facere videbantur, ordo monet, ut disquiramus ulterius de Moralitate eorum, an sc. naturâ suâ bona vel mala, vel denique indifferentia sint. Ubi quidem ex superioribus repetendum, quod appellata sint, *celebritates & quidem publicæ*. Sicut autem celebritas hæc necessariò consistit in actione, dispiciendum porro, an hæc quatenus est motus quidam agentis liberi, si reducat ad dictamen rectæ rationis, bonitatem aut malitiam moralem involvat, vel plane sit indifferens natura suâ, & ex certis demum circumstantiis bona vel mala fieri possit. Hic igitur rursus variè pronuntiandum erit. Nam si Spectacula in suâ latitudine sumta & prout IV illa genera Sect. I. adducta comprehendunt, spectentur, ultro apparet, ea ad alterutrum extremorum reduci non posse. Itaque sicut ea Spectaculorum genera distincte consideravimus, judicium etiam distinctum de iis omnino ferendum erit.

§. II. Quod ergo gladiatores attinet, jure meritoque ex Rebusp. Christianorum Spectaculum istud exploditur, utpote quod summa cum crudelitate conjunctum, & vel ipsi Juri N. adversatur. Quamvis enim tempore Romanorum nihil

C 2

non



non licuerit in Servos, seu naturā sive lege tales, utpote qui vitæ necisque potestatem in eos haberent, ita ut affirmante Seneca nulla perpeffio sit, quæ non impunè illis imposita fuerit, & per consequens eos etiam ad digladiationem condemnare potuerint, ut voluptatem inde caperent, ipsa tamen sana ratio aliud suadet, quod quia homines sunt, & ratione præditi, iis tanquam alteris nobis uti debeamus, ut ait Clemens Alexandr. Multum ergo distat, ut pulcre loquitur Grotius in suo de *Jure B. & P. Tract. L. III. c. XIV. §. 2.* id quod impunè in servum fit ex Gentium jure; & id quod naturalis ratio fieri finit. Citatque hunc in sensum Senecam, qui Epistolâ sua XLVII. Servi sunt, inquit, immo homines: servi sunt, immo contubernales: servi sunt, immo homines amici: servi sunt, immo conservi. Et quamvis in servum omnia liceant, est tamen aliquid, quod in hominem licere commune Jus animantium vetat. Præterea nondum satis probatum est, Superioribus vi Servitutis atque Domini Jus vitæ ac necis in Inferiores competere, & quod attinet Servos naturā tales rem claram esse puto, Jus hoc superiori in eos, nisi grave accedat delictum, non competere. Immo ausim hoc ipsum affirmare de Servis Jure belli talibus, facem mihi hâc in parte præferente Cæsberr. Domino Gæzio, Patrono & Hospite meo, Parentis instar, filiali cultu æternum devenerando, qui durum Jus autumat, captivos fallendi temporis gratiâ jugulare &c. Status enim ipsorum à misericordia ortum trahit, & propterea in crudelitatem declinare non debet.

§. III. Apparet igitur hinc dilaniationem illam, quæ voluptatis gratia instituta est, naturæ rationali, ut rationali contrariari, & proinde plane non admittendam esse. Neque etiam hoc modo gladiatorium Spectaculum salvari potest, quod populum Romanum exhortaverit ad constantiam, Militum animos excitaverit, ut eo fortius adversus hostem externum pugnarent, & frequenti hâc sanguinis effusione visâ, deinceps mortem cruentam non extimescerent. Non enim mala sunt facienda, ut exinde quaecunque bonum proveniat. Et pluri-  
ma



ma alia suppetunt media, quæ Populo animum addere potuerint, quæque minori cum periculo conjuncta fuerint, quam hic ipse ludus. Obversabantur enim eorum oculis Trophæa Majorum, illorumque facta illustra fomitis in modum, studia Virtutis in iis excitare & alere poterant, ut crudelissimis istis spectaculis minimè fuerit opus, quorum iniquitatem perpendentes multi, ea execrati sunt. Et insignis præ aliis est locus Cypriani ad Donatum. Paratur enim, inquit ille, gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium hominum, sanguis oblectet. Homo occiditur in hominis voluptatem, & quis possit occidere peritia est, usus est, ars est, scelus non tantum geritur, sed docetur.

§. IV. Merito igitur laudandus Constantinus Imperator, qui primus Romanorum Principum gladiatoria spectacula ex orbe Romano submovit, suffragantibus plerisque Autoribus, postquam 600 ferè præterlapsi essent anni ab eo tempore, quo instituta sunt. Vid. Anton. Thyf. Tr. c. Et quamvis sæpius alii ea rursus introducere conati fuerint, identidem tamen repressi, quemadmodum Arcadius & Honorius zelum Patris æmulaturi, toto Imperio Romano, Tempia Idolorum destrui, ludos tolli gladiatorios præceperunt, qui ad id tempus seu Diis placandis seu efferandis cruento spectaculo militum animis, insanæ plebis studio remanserunt, *Cluv. Epit. Hist. totius Mundi*, usque dum penitus memoria eorum cum ipsa re sublata fuerit. Ipsum etiam Jus Civile ludos hos prohibere videtur, *vid. Pacius Hæg. in Codic. L. XI. T. XLIII.* Cruenta spectacula sublata sunt, ideo etiam usus gladiatorius sublatus est.

§. V. Putamus jam ex antea dictis facile perspicì posse, quid sentiendum sit de eo, utrum Principi Christiano licitum sit, homines captivos & capite plectendos, tali mortis genere punire, ut ipse spectaculum inde aliquod habeat, vel ad minimum iis imperare possit, ut manus violentas sibi ipsis inferant? Momentum quæstionis in eo potissimum residet, an tum in Foro conscientia excusari possit Princeps talia moliens, tum si ad Jus Gentium reducatur, talia licite peragere possit.



possit. Novimus enim Principi per potentiam suam talia concedi debere, & à multis hoc quoque fieri testatur experientia. Involvit autem quæstio duos Personarum status, unum eorum, qui bello capti, alterum eorum, qui ob alia delicta in vincula coniecti sunt. Quod priorem statum attinet, antequam respondeatur, distinguendum putamus, inter captum & captivum, prout quidem aliàs termini isti formaliter distinguuntur, & Captivus notat Personam hostilem devictam non occisam, ob diversa jura quæ ei post capturam cum victore intercedunt. Captus vero seu captura actumprehendendi personam hostilem devictam, non illius statum significat, sicut hæc accurate à se invicem distinguit, laudatus *Dn. Gæzius in Colleg. suo de Jure Gent. c. X. §. 12.* In captos licentia hæc Principi concedenda videtur, non vero in Captivos, nec quidem Jus occidendi, quia Superior seu Victor jam tùm pactum cum iis iniit, ut loco mortis, quam perpeti debebant, aut perpetuam in servitute manerent, aut certo ære percolato in pristinam libertatem rursus sese asserant. Jam autem per Legem N. pacta servare & promissis stare jubemur. In captos vero Principi potestas illa non ita simpliciter competit; Qui enim bello injusto, quamvis sine pacto, in Victoris transiit potestatem, in eum non licet sævire, quoniam devictus bello injusto, saltem infortunatus & miser, non autem malus & pœnæ obnoxius est. Sed hominem cujus Virtuti fortuna obstitit, eumque reddidit miserum, occidere, Legibus naturæ directe adversatur. Qui vero sine pacto per bellum justum in Victoris transferunt potestatem, in hos quidem aliquid amplius licet jure belli, cum instar maleficorum sint, qui in carcere adservantur, ut scite admodum hac de re disserit Excell. *Dn. Gæzius, laudato Tractatu c. X. §. 16.* & Titus jure belli Judæorum etiam pueros & fœminas in spectaculis Feris laniandas proposuit, quoniam multa Jure Gentium permittuntur, quæ Jure N. sunt vetita, ut habet *Grotius L. III. c. IV. de J. B. & P.* quia tamen Jus Gentium positive congruere debet cum Jure N. tunc hæc sævitia in captos, cum crudelitatem magnam adjunctam habeat, quæ Juri N. adversatur, merito coerceri debet.

§. VI.



§. VI. Deinde etiam per conscientiam licite fieri non existimo, maleficos & facinorosos, qui morti jamjam destinati sunt, ludibrio exponere, ut occubitus eorum pro spectaculo delectabili habeatur. Quod ipsum non obscure videntur inuenere Politici, dum vetant, ne Magistratus etiam suppliciorum sit Spectator, neve ullum edat signum lætitiæ. *Vid. inter alios Schænborn. L. III. Polit. c. XX. de Jurisd. crim.* Si hoc vetitum, multo minus integrum erit, ut tali mortis genere plectantur rei, quod Spectaculum delectationemve Magistratui seu Principi exhibeat. Et nigro notat calculo Sveton. Caligulam, qui animadversionibus pœnisque ad Supplicium datorum cupidissime intererat. Quod illud attinet: an aliquis adigi possit, ut sibi ipsi manus inferat? pro impossibili habemus, Principem reum seu captivum quendam adstringere posse, ut seipsum jugulet. Etenim τὸ sibi ipsi manus inferre, est contra amorem sui ipsius à Deo cuiuslibet, inprimis vero Creaturæ rationali implantatum, adeoque intrinsece malum. Hinc Superior, salva Conscientia, eum qui plecti debet, eo adigere non potest, ut seipsum vitâ privet, cum ad impossibilia, id est, intrinsece mala nulla detur obligatio.

§. VII. Eodem autem Jure, quo Spectacula gladiatoria, etiam Mimos, & quæ sub hoc nomine latet Majuma, Comœdiamque præ se fert, Gesticulatores item, aliosque hujus farinae ludos proscribi posse è Rep. bene constituta, censemus. Neque enim per Accidens tantum effrænata petulantia libido cum hisce ludis irrepit, sed quemadmodum ipsi penitus sunt vani, & morum corruptrices, ita vanitatem quoque peccatoribus hominum leviter instillant, & Conclusioni Juris N. aperte & per se repugnat, quod honeste vivendum svadet. Videtur quidem ac si Romanos aliasque Gentes hoc juvare possit, quod sub ratione cultus hujusmodi ludos & Spectacula exhibere necessum habuerint, ut inter alia quidem fuerunt Saturnalia, Lupercalia, Floralia, Majuma &c. quæ Festis diebus, fictitio illo Deastrorum choro sacris, celebrabant. Sed quamvis Vulgus sibi persvasum habuerit, se hoc modo Diis  
suis



suis rem gratam facere, Sapientiores tamen qui rationis suæ recto usu pollebant, præter hoc, quod pluralitatem Deorum pro figmento habuerunt, etiam subodorabantur, DEUM ludicris hisce rebus coli non posse, quippe quæ cum essentia ejus oppido pugnent. Nam quemadmodum aliàs omnibus hominibus naturâ notum, esse unum aliquod Numen, quod coli debeat, cujus unitatem planis verbis ipsi quoque Gentiles professi sunt; (*Ita enim Princeps Philosophorum L. X. Metaph. c. 1. concludit, quicquid est, eo ipso quod est, maxime est unum & inde infert, quocirca id, quod aliis rebus dedit, ut unaquæq; una sit, illud maxime est unum.* Et Plato in Ep. XIII. ad Dionys. Tyrannum Syracus. dicit: τῆς μὲν γὰρ σωδαίας ἑπιστολῆς θεὸς ἀρχεῖ, θεοὶ δὲ τῆς ἡττων, quibus innuit, si dicendum quod res sit, unum tantum Deum esse) ita quoque rationis usu cognoscere possunt, eum tanquam Dominum ac Moderatorem rerum omnium casto & humili animo adorari & invocari debere, & sectando virtutem eidem conformis fieri, ut habet Plato I. de Rep.

§. II. X. Ex quibus hæc tandem elicimus, Romanos aliasque Gentes excusari non posse, quasi penitus ignoraverint, ea quæ Juris N. sunt, nec cognitum habuerint, obscænos & impudicos ludos & Spectacula in honorem Deorum institui non debere, sua enim culpa id ignorarunt, dum segnius in debitum Numinis cultum inquisiverunt. Et quamvis intelligerent Juris N. propositiones, perciperentque vim obligativam ex objecto inde ad se redundantem, nihilominus tamen appetitu sensitivo præpediti, quod jucunda deprehenderent hæc Spectacula, & spe impunitatis inescati, egerunt contra dictamina illius, uti pulcre demonstrat Gvil. Grot. in Enchir. de J. N. Principiis c. III. §. 6. & Excell. Dn. Gæzius in annot. ad eund. loc. Neque defuerunt inter prudentes, qui re secum penitus expensa, absurda hæc & profusissima Spectacula, cum luxuriosissimis voluptatibus sumtuosissimisque deliciis, & commensationibus calamitatum maximarum & ipsius fere servitutis causam habuerint, immo quoque revera extiterint.

§. IX.



§. IX. Profligatis inanibus hisce, & vilipenderdis ludis, videmus jam, quid sentiendum sit de iis Spectaculis, quæ quidem cum cæde non conjuncta, neque etiam in honorem Deorum instituta, sed solius voluptatis, populique favoris captandi gratia in Theatrum prodierunt, qualia fuerunt Spectacula Neronis, Augusti hodieque multorum Principum, ubi præsentata fuere flumina, & in iis natantes Balenæ; alique pisces, aureis retibus venati, Propugnacula erecta, quæ validissimis cincta muris, in speciem oppugnabantur; Ignes item succensi visi sunt, & videntur. Hæc, & similia Spectacula quâ ratione admitti possint, unâ assertione explicari non potest.

§. X. Et quidem si Resp. quædam bello olim implicita se feliciter expediverit, & per victoriam adversus hostes obtentam pacem auream reduxerit, concessum erit Victoribus lætis iudiciis gaudia sua declarandi, quibus sub iudiciis continentur illæ solennitates publicæ, Ignes succensi & ejusmodi plura. Moderate tamen hæc tractanda sunt, ut expensæ harum celebritatum opes Reip. non superent, vel etiam solennitas major existat rebus bello partis. Et hoc ipsum etiam observarunt olim Romani qui pro ratione victoriæ solennitates & ludos instituerunt, & pretiosos quidem, composito bello ingenti, mediocres, si parta Victoria Reipublicæ emolumento magno non cessisset. Hunc in modum quoque honorarunt ipsos Victores, dum unicuique pro merito, aut Triumphum, Ovationem, vel Coronationem concesserunt.

§. XI. Spectata vero Rep. tempore pacis, notandum erit, An Dominantium in ea attendatur utilitas, an contra Populi queratur Salus. Posito jam, quod in Rep. omnia ad unius vel aliquorum commodum debeant dirigi, præsertim si recens facta fuerit mutatio, & Libera Resp. Imperium Principis subire coacta fuerit, magnum allaturum esse emolumentum docent Politici, si talia Spectacula aut Princeps ipse exhibeat, aut celebrationem illorum plebi indulgeat. Avertitur enim hoc modo illorum animus à meditatione pristinæ libertatis, dum jucundis hisce delitiis occupatus tenetur. *Et notat Clapmar. L. VI. c. X. de arcib:*

D

Re-



*Rerump.* prudenter admodum fecisse Augustum, qui occupato imperio varias & occultas artes excogitavit, quibus populum pristinae adhuc libertatis memorem, & curiose in acta Superioris inquirentem, occupatum teneret sibi que devinciret, imprimis indulgendis voluptatibus, adeoque Spectaculis atque ludis exhibendis. Dicitque hoc esse simulacrum aliquod libertatis. Vulgus enim cum hujuscemodi voluptates impune exercet omnia se affectum esse existimat. Neque forte adeo reprehendendus Augustus, quod tantas & ingentes opes Spectaculis insumserit, & plurimum aëris ludens profuderit. Exigebat enim hoc ipsum mutatus Reip. status, & si Diadema Regium conservatum vellet necessum erat, populum talibus ludis veluti lacte pascere atque infatuare. Et optime monuit Mæcenas ille prudentissimus Augustum Συμφέρει σοι καίτοι, περὶ ἡμᾶς τὸν δῆμον ἀποτρέψασθαι. Et alias etiam in more Romanorum positum fuit, ut si regionem quandam occupassent, homines alieni regiminis impatientes voluptatibus, Spectaculis, aliisque delitiis emolliverunt, ut eo rectius deinceps in officio contineri potuerint. His artibus Britannorum feroces animi adeo fracti sunt, ut sensim ad Romanorum mores se composuerint, referente *Tacito in Vita Agricola.*

§. XII. Hæc igitur Spectacula expedient, si in Rep. omnia peragi debeant ad Dominantis commodum augendum. Secus res habet si alia Reip. forma, præsertim Politia & Democratia in aliquo loco obtineat. Ibi enim si ejusmodi Spectacula frequentius exhibeantur, id ipsum metuendum erit, quod Romanis mediis locis fuit, Gentes alias superandi; emolliuntur enim animi, luxuriei, aliisque vitiis via lata aperitur & avita virtus langvescit tandemque penitus evanescit. Et hoc ipsum perpendens Scipio Nasica infestus Spectaculis hostis extitit, adeo ut Theatrum in hunc finem strui à Censoribus coeptum, tanquam inutile & nociturum moribus publicis destruendum curavit. *Paulus Oros. L. IV. c. XXI.* Præterea si vitiosa evaserint hæc Spectacula facillime sufficiens præbetur occasio corruptelæ animorum, cum ea quæ in Theatris visuntur, tenaciter hæreant animis & vehementer ad sui imitationem provocent. Quâ de causa multi etiam existimant, Spectaculis



culis iis, tum ob pretiositatem suam tum ob depravationis me-  
tum civitatem facile carere posse: & scribit Seneca *Ep. 100.* hanc  
ludorum luxuriam, olim multas ex nobilissimis domibus in are-  
nam coniecisse, iisque quoddam *πέλαγος τῆς ἀπωλείας* extitisse.  
Hujus itaque generis Spectacula, quamvis in se spectata mala  
non sint, utpote quæ certis circumstantiis positis, stricto jure pro-  
hiberi non possunt, ut paulo ante vidimus, pravo tamen usu & in-  
tempestivâ exhibitione, quatenus nimirum Populum ad luxuriam  
provocant, ejusq; bona absorbent, melius est ut plane omittantur.

§. XIII. Ne tamen similes videamur iis, qui omnes delectatio-  
nis modos Civitatibus exesse volunt, existimamus omnino opti-  
me tolerari posse quosdam Ludos Scenicos, quales sunt Comœdiæ  
& Tragœdiæ, qui præcipuè ad honestatem diriguntur, & Specta-  
toribus non exiguam utilitatem afferunt. Non enim tantum cu-  
randum Principi sollicitè ut Subditi recte & honeste vivant, sed  
etiam ut vitam suam commode, honorifice, jucundè transigere  
possint. Ad quam commoditatem etiam referimus modo di-  
ctas Tragœdias & Comœdias, quatenus honestum aliquod The-  
ma tractant, ut adeò Populus honestè, & sine detrimento otio  
isti indulgere possit. Et admodum utiles sunt hæ actiones ex fine  
potissimum, dum Actores Tragici Spectatores suos facili quo-  
dam modo à vitiis, quod maxime molitus est Homerus, in re-  
giam Virtutis viam deducere conantur. Vivis enim ibi quasi  
coloribus depinguntur teterrima eorum flagitia, qui vitam su-  
am ignominiosissime traduxerunt, & contra generosæ illorum,  
actiones qui omnem suam ætatem virtuti sacrarunt. Et notan-  
da hic imprimis Verba *Timoclis Comici, de Tragœdiæ utilitate*, di-  
gnaque ut hic apponantur: *Apud Tragœdiam, inquit, totius Vitæ  
atque conditionis sunt exempla atque documenta. Nam si pauper  
es, inopiam ferre disces à Telepho; Si Filii ante diem pereunt, à Ni-  
obe; si furor arripuit, furorem sedare disces ab Alcmeone.* Neque  
minoris ponderis sunt documenta, quæ *Athenæus L. VII. ex Tra-  
gœdiâ* hauriri posse ostendit. ut ita Tragœdia inter nobilissimas  
recreationis Civilis partes referri mereatur. Quod ipsum etiam  
de Comediâ dici potest quam suo jam tempore commendavit  
Plutarchus in Libro de Homero. *Omnino, inquit ibidem, natu-*





ra humana consentaneum est, non intendo modi animum, sed remitti etiam, ut sufficere possit ad vite labores. Itaque talis animi oblectatio à Poeta inventa est. Et sobriè admodum Homerus res, quas alii, qui postea Comœdias ediderunt, risus captandi gratiâ, turpibus & nimis apertè obscœnis verbis circumscribserunt, commemoravit, uti apparet ex *Iliad. Ej. 333. & γ. 156. Chassaneus etiam parte 2dâ Catalogi gloria mundi considerat. 52. ostendit, quatenus & cur Spectacula Princeps permittere subditis debeat.*

§. XIV. Neq; ipsi Nostrarum partium Theologi in asserendo usu & licentiâ honestorum Spectaculorum Scenicorum nos deserunt, quibus aliàs in hâc materia Controversia cum Calvinianis intercedit. Vice reliquorum producemus in medium B. Meisnerum, qui in Collegio suo Adiaphoristico contra Calvinianos disputans, ea non solum toleranda, verum etiam scœpiuscule urgenda esse, variis probat rationibus. Primam deducit ab utilitate, quam secum afferant Spectatoribus, sc. quod multi qui alio modo ad virtutis studia non poterant excitari, ludis hisce Scenicis tandem commoti sint. Et minime dissentit hâc in parte à modo allegato loco Timoclis Comici. Quam vehementer autem animi talibus actionibus moveri possint inde apparet, quod olim etiam ut Agitatorum, sic Spectatorum factiones erant, quæ diversis Actorum partibus studentes, tam impotenter sese gesserint, ut sæpe favor iste seu amor in furorem abiret. Nec alia de causa, quam insano isto faventum studio seditio illa atrocissima sub Justiniano Constanti-nopoli cepit in quâ 30000 hominum cæsa fuerunt, ut *Procopius Autor est. Vid. Buchn. in not. ad VI. Epist. Plinii L. IX.*

§. XV. Neque ipsi agentes suo destituuntur usu per Tragœdiam & Comœdiam. Juvantur enim omnes animi facultates, ut tanto promptiores fiant ad aliquid peragendum, & exercitio hoc Comico, Timidi etiam animum recipiunt, ut seposito imposterum metu *παρρησία* utantur. Aliam rationem Meisnerus exinde deducit, quod maximam pariant jucunditatem actiones Theatrales & honesto modo recreent hominem fessum, animumque defatigatum, dum raræ exhibitiones, elegantes picturæ visum afficiunt, historiæ quæ tractantur mirabiles, aures delectant. Et proinde minime tolli & prohiberi debent, nisi quis omnem è vita humana jucunditatem

eli-





eliminatum velit. Non autem minima causa erat ut harum actio-  
num legitimum usum assereret, quod Adversarii Comœdias & Tra-  
gœdias odiose damnant, & operibus carnis ea annumerent, quæ  
Sp. S. ut loquitur Munsterus, ejiciant, ut hâc ratione libertatem  
christianam circa res Adiphoras coarctarent, & sub Ceremonia-  
rum, aliarumque rerum *διαβολῆ* & abrogatione, dogmata sua in-  
troducendi sibi aditum parent. Nec tamen eos juvare potest quod  
dicant Comœdias &c. Ethnicismum redolere. Multa enim in Scho-  
lis & in Foro retinentur, quæ ab Ethnicis profecta fuere. Nihil quo-  
que valet illud Legem Dei prohibere Vestium mutationem, qualis  
est quæ in Comœdiis usurpatur. Docentibus enim Theologis Lex  
non loquitur de tali mutatione, sed de illa, quæ fit proximi decipi-  
endi causa, aut quæ in conversatione Politica, ubi sexuum distin-  
ctio requiritur illicite usurpari posset. Publica tamen Autoritate  
Spectacula sunt exhibenda, ut honestati Legibusque circa ea latis  
tanto majori reverentia habeatur. Pertinet enim ad virtutem Mo-  
deratricem, quando Princeps aut Magistratus alius procurare  
debet, ne in Spectaculis publicis committatur aliquid contra ho-  
nestatem. Proinde etiam Theatra inter publica referuntur ædificia,  
quæ Ludis peragendis destinata sunt, & à Magistratu Civitatis in  
esse suo conservari debent, ut habeant Cives quo inter labores suos,  
& negotia seria recreari possint. *Vid. Schönb. L. I. Polit. c. XIV.*

§. XVI. Dictum etiam aliquid Superiori Sectione de *Supioria-*  
*chiis*, seu ferarum venationibus, quæ in Aulis Principum & Magna-  
tum similem in modum quo Taurilia Veterum celebrantur. Quod  
Genus Spectaculi Principum Celsitudini optime convenit. Propter  
tamen adjunctum periculum non consultum habent, ut ipse inter  
sit pugnae adversus feras, sed potius tanquam spectatorem se gerat  
Neque enim corpus Principis, utpote in quo omne momentum fi-  
tum est, temere prostitui debet; & objurgarunt olim Macedones  
Alexandrum, cum Leonem ingentis magnitudinis, sibi obviam fa-  
ctum intermisset, ne ipse pedes adversus bestias dimicaret, aut aver-  
tendi periculi causa delectis Principum amicorumque catervis sti-  
patus, certamen adoriretur. *Curtius L. II. X.* Facile enim discrimen  
vitæ inire potest Princeps, quod tamen summopere cavendum, nisi  
urgens adsit necessitas, veluti si in bello presentia Imperatoris pu-



fillanimitati Militum mederi possit, ipse utique consultius prælium aggredietur. De his tamen alibi.

§. XVII. Ex eadem quoque ratione non adeò tutum fuerit, ut Imperator aut Princeps aliquis Torneamenti interfit, ita ut ipse decertet. Et disputant multi, num Regiæ & Principalis dignitatis Personæ ad hos ludos Equestres admitti debeant? Nos, uti modò dictum id tutò fieri non existimamus, cum magno sæpe periculo tale certamen conjunctum sit, licet præacutis armis non concurrant: & unum atque alterum Exemplum notat Ruxnerus, ubi Nobiles Equo dejecti, & ex infelici casu diem suum obire coacti, vel etiam graviter læsi, inepti ad arma gerenda facti fuerint, & scribit Panciroll. Tit. XX. p. 697. se vidisse quod multi commissi, se mutuo interfecerint. Quod ipsum facile Principi accidere potest. Præterea hic ludus pro Nobilibus potissimum institutus erat, ut illi in perpetuo quasi exercitio permanentes, eo promptius arma tractare eaque pro salute Patriæ, ipsiusque Principis, tanto fortius in hostem vertere, & eum repellere possent. Legitur quidem apud Ruxnerum ipsum Henricum Imperatorem in primo Torneamento ab ipso instituto, Diademate aureo ornatum, decertasse, cum pluribus aliis Principibus. Videtur mihi tamen, hoc propterea factum ut appareret quanta sit gloria horum ludorum, ut quorum autoritas ipsius Imperatoris præsentia stabiliri merebatur.

§. XIX. Quæri aliàs solet de Moralitate Torneamentorum, Num bono Reip. instituta fuerint, vel adhuc institui possint? Per se quidem Ludum hunc Equestrem exercere vel intermittere nihil refert. Nihilominus tamen si respiciamus finem, ob quem potissimum introductus fuerit, inficias ire non possumus, cum summam laudem mereri. Conveniens enim erat Teutonum Generosis pectoribus, & fortitudo eorum in hoc virtutis cote maxime acuebatur. Nemo etiam unquam hunc lusum improbare ausus fuit, omni quippe destitutus fundamento. Et perperam quidam huc trahunt constitutionem Juris Canonici, quod *L. V. Decret. Greg. Tit. XIII. c. 1. 2. de Torneam.* ludos Equestres prohibeat. Ita vero ibi verba habent: Detestabiles illas Nundinas vel Férias, quas vulgo Torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto convenire solent, & ad ostentationem virium suarum & audaciæ temerè congregari, unde



de mortes hominum & animarum pericula sæpius proveniunt, fieri prohibemus. Plerique enim Doctores asserunt, sermonem ibi esse de temerariis militum ad mortem usque congressibus, neque Ludos Equestres, quibus Nobiles ad bella parantur, esse vetitos. Et adstipulatur huic Sententiæ *Limn L.VI.c.V.n.14.seqq.*

§. XX. Deinde non minima quoque cessantis Torneamentorum Usus ratio videtur introductio Tormentorum, quorum Usus Seculo Superiori XIII primum repertus, & frequentissime in bellis adhiberi cœptus est. Pulvere enim nitrato, globuloque ferreo longe distantia corpora peti possunt, frustra renitente optimo quoque chalybe; Et hæc ratione fortissimus quique Bellator à gregario milite enecari potest, cui cætera omne desit æs circa pectus, nec amplius integrum suâ manu circumfusas hostium copias more antiquo dispellere, & imminentes hastas, (ad quod tamen præstandum plurimum Torneamenta facere potuerunt,) scitè declinare. Improvisus enim globuli ictus omnia hæc annihilat, ita ut nec cognoscere possis, quo ex angulo tam cito advolaverit. Hæc de causa evluere Ludi Equestres, qui non nisi in aliis Solennitatibus, ut aliquo modo Veterum certandi modus repræsentetur, & pompa festivitatis decoretur, in medium producuntur. Eos autem intermissos esse propterea, quod aliquid iniqui aut crudelitatis contineant, plane non concedimus. Et hæc in præsentem de pulcerrima Spectaculorum materia sufficiant. Benignus Lector, æqui bonique consulat, si quæ pro rei dignitate minus terse tractata fuerint, juvenilibus etenim annis concedenda judicabit, si alicubi titubasse nos animadvertet. Deo vero nostro

Æternas dicimus laudes.



SUO



SUO  
DN.  
CHRISTIANO HERMANNI,  
Philosophiæ Magistro Clarissimo,  
SS. Theologiæ Studioſo,  
PIO, ASSIDUO, FELICI,

*cum is*  
post editã in cathedra inferiori, lectionis, iudicii & promti-  
tudinis specimina hautquaquam vulgaria,  
Patribus volentissimis, nec sine omine egregiorum  
successuum,  
Superiorem, dignissimum virtute sua campum,  
conscenderet,

S.

\* \* \*

Phœbus ut HERMANNI vidit *spectacula*, risit,  
Atque Heliconiasin, *plaudite*, dixit, *ei*.

*Amico & Convictori dilectissimo*  
*Imq; f.*


GEORG. GOEZIUS, Moral. P.P.













3  
**ULB Halle**  
004 795 92X



*SB*

*VD 17*









No. 24. vol. I.

DISSERTATIO HISTORICO-  
POLITICA 1671/71

De

# SPECTACULIS,

Quam

Divini Numinis adspirante gratiâ

&

Superiorum Indultu

In

Celeberrima propter Salam Academiâ pu-  
blicæ Eruditorum Censuræ subicit

PRÆSES

M. CHRISTIANUS HERMAN-  
NUS, Namsl. Silesius,

&

RESPONDENS

VALENTINUS FRÖSCHELIUS  
Erffurt.

*ad diem VI. Decembr.*

*Anno M. DC. LXXI.*

JENÆ,

Typis Joh. Jac. Bauhoferi.

